SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
h. t. FACVLTATIS MEDICINAE DECANI

PROLVSIO PRIMA

DE

SENSV CORPORIS SANITATIS CONSERVANDAE ET REDINTEGRANDAE CONSILIARIO

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

SVFFOCATIONE EX MVSTO FERMENTANTE

D. XXVIII. MAII HABENDAM

PRAEMISSA.

IENAE D. XXI. MAII M DCC XXIX.

IENAE
LITTERIS MVLLERIANIS.





Ræstantes ab omni ævo in arte medica viri recte iudicauere, quod quiuis homo, modo sapiens sit, non solum ad corporis sui valetudinem saluam atque integram conseruandam, sed & morbis infirmatam pristino restituendam vigori, propria industria multum conferre possit. Felix vero atque insigne dictum finem consequendi medium est inter alia CORPORIS SENSVS, quemque ob hanc causam, in titulo programmatis nostri, *sanitatis conseruandæ & redintegrandæ consiliarium* appellavimus.

Atque idem medium multis seculorum interuallis ante nos HIPPOCRATES, maximus ille medicorum, & hujus scientiæ conditor ac naturæ peritissimus a SENECA *Epistol. XCV.* judicatus, atque talis pro suorum maxime temporum ratione merito habendus, agnovit. Postquam enim *libro de veteri medicina cap. XV.* de difficultate tum sanis tum ægris convenientem alimentorum quantitatem adsignandi, seu victum vel tenuiorem vel pleniorem præscribendi differuit, in fine huius textus inquit: *Oportet autem modum seu dimensionem aliquam conjectare*; Et ab initio sequentis *cap. XVI. Dimensionem autem nullam aliam reperies, neque pondus, neque mensuram, cujus intuitu exacta diætæ instituendæ scientia haberi queat, quam* CORPORIS SENSVM. Quis igitur medicorum ad tanti præceptoris aureum monitum nolit *corporis sensum* pro sanitatis consiliario reputare?

Intelligimus vero in genere per hunc, istum a divino Numine nobis inditum satis notabilem sensum, qui de rerum & actionum, quibus vel ad nostrimet ipsius, vel speciei conservationem

opus habemus, vel indigentia, vel sufficientia, vel abundantia nos admonet, aliaque praeclara in morbis obseruanda nobis inspirat consilia.

Primo loco ceu egregium sanitatis consiliarium se gerit *corporis sensus* in determinanda ciborum ac potulentorum quantitate adsumenda, sicut e iam adducto Hippocratis loco maxime elucescit. Quis enim medicorum omnibus hominibus, quorum maxima, ratione aetatis, temperamentorum, vitae generis, specialis viscerum, chylum sanguinemque conficientium, roboris, nec non transpirationis copiosae, vel minus talis, occurrit differentia, accurate definire poterit, quantum singulis vicibus edere atque bibere ipsorum sanitati conducat? cum tamen istos corporis sui sensus id optime edoceat. Enim vero quiuis fere homo, maxime vero sapiens, quam optime cognoscit, an indigentiae alimentorum, seu fami atque siti, per esculenta & potulenta sufficienter fuerit consultum; adeoque harum rerum appetitu infracto, viribusque refectis, plura alimenta deglutire recusat, licet prandio vel coenae, dubiis, accumbat, in quibus tot palati occurrant lenocinia.

Quo magis vero hunc corporis sensum sana ratio & experientia in semet ipso facta comitari solent, sicut homines, si homines esse velint, decet; eo excellentior solet ille esse sanitatis consiliarius. Et profecto tales homines videntur exacte intelligere CELSI praeceptum *Lib. I. cap. 2. Vbi ad cibum ventum est, nunquam tuta est nimia satietas*; & sensum *aphor. 33. Lib. II.* SANCTORII, quo inquit: *Si scineris quotidie, quantum cibi tibi conueniat, scies vitam diutissime conseruare.* Hoc ipsum vero, e consilio *celeberrimi* FRIDERICI HOFFMANNI, *Halensis*, quod *Medicin. System. Tom. I. sect. II. cap. 8. in Scholio ad* dictum *aphorismum* suppeditat, *indagari potest, quando non ante nouus corpori cibus ingeritur, quam priora alimenta probe concocta & foras eliminata fuerint; cuius rei perspicua indicia praebent somnus quietus, feces aluo exclusae, corporis animique agilitas, leuitas, & ventriculus nullo afflictus incommodo. Si vero contrarium eueniat, tunc certus quis esse potest de ciborum cruditate, ac impendente morbo.*

Porro huc usque laudatus corporis sensus de moderanda diaeta pro anni temporum diuersitate, saluberrima nobis subministrat consilia. Enim vero tacito quodam corporis stimulo hieme

ad

ad victum copiosiorem & crassiorem adsumendum, quasi medico plane consilio, adomnemur. Nam cum propter poros cutaneos ab aëre frigidiori, hiberno tempore, magis constrictos, transpiratio e corpore nostro in atmosphæram parcior contingat; contra vero perspiratio interna ventriculi & intestinorum largior succedat, quam verno & æstiuo tempore: ideo cibi copiosiores & crassiores a ventriculi & intestinorum, calore atque menstruis, hiberno tempore actiuioribus, eo promtius in chymum atque chylum resolui solent. Nihilominus tamen & corporis nostri sanitati integræ seruandæ, eodem corporis sensu suasore, admodum salutare est, brumali tempore vinum meracius & cereuisiam efficaciorem bibere, nec non iuscula atque infusa calida theé atque caffeé, vel vegetabilium balsamicorum in frequenti ponere vsu, quo scilicet hac ratione circulus humorum ad corporis externum habitum vegetius promoueatur, nec transpiratio ab aëre frigido illi incumbente supprimatur nimis.

Idem etiam *corporis sensus*, nullo vsus præceptore, nos præclare docet, circa veris finem & per æstatem, victui crassiori, ad quem maxime carnes spectant, paulo detrahere, & contra potui copiosiori, temperatiori tamen, indulgere, quo per hunc humidum istud serosum, quod magna in copia per poros cutis tunc temporis elabi solet, restituatur, & legitima massæ sanguineæ mixtura, & ex ea resultans temperies conseruetur.

Cumque hoc tempore non propter transpirationem auctam solum, sed & motum sanguinis vtrumque; cœlo æstuoso vehementiorem, particulæ sanguinis sulphureo-salinæ nimis volatiles fiant, & dominium in massa sanguinea facile acquirant, sicque valetudini corporis nostri valde inimica consurgat intemperies: ideo non adeo obscuro corporis sensu ad esculenta & potulenta acidula, qualia sunt acetaria, variaque huius saporis embammata, nec non decantatus iste e vino, aqua, succo & corticibus citri, saccharoque; lege artis, confectus potus, qui limonada dici solet, adsumenda stimulamur. Enim vero cuncta hæc rite vsurpata alimenta sulphur & sal volatile sanguinis, nimis rarefactum, deprimendi & contemperandi, adeoque corporis nostri temperiem, cœlo feruente, tuendi egregiam vim habent. Atque de variante hac iuxta varietatem temporum anni diæta neruose agens CELSVS *Lib. I. cap. 3.* legi meretur.

Verum enim vero licet longe plura mihi ſuppetant argumenta, quæ ſenſum corporis, ceu ſanitatis conſeruandæ & redintegrandæ conſiliarium, adſtruant; iis tamen adferendis chartarum anguſtia, quæ eiusmodi proluſionibus de ſtinata eſſe ſolet, nullum concedit locum. Quapropter eorum expoſitionem in proxime futuram differo occaſionem, & ad recenſionem vitæ & ſtudiorum, invitationemque publicam ad audiendam diſſertationem pro Licentia Doctoris gradum obtinendi

Clarisſimi & dignisſimi Medicinæ Candidati,

IOANNIS CHRISTOPH. TANNENBERGERI,

me conuerto.

Primam lucem aſpexit *noſter* die 20. Septemdris 1702. in alma hac Muſarum ſede, habuitque patrem ciuem honeſtum IOANNEM TANNENBERGERVM, alutarium & tabernarium cellæ ſenatus oppidani, matrem vero ANNAM, propaginis Fickianæ. Charisſimi hi eius parentes omnem adhibuerunt curam, quo *noſtri* animus chriſtianæ religionis fundamentis & iis litteris, quibus ætas infantilis erudiri debet, probe imbueretur. Enim vero cura, quam eius genitor in hunc finem ſuſceperat, admodum immature ipſius morte fuit interrupta, quæ Anno 1707. contigit. In huius vero locum diuina prouidentia breui poſt conſtituit FRIDERICVM BENIAMINVM KRIEGCKIVM, academiæ huius miniſtrum, officio ſuo dextre functum, qui inſtar germani patris intellectum *noſtri* iam vegetum omnibus adornauit auxiliis, ita quidem, ut non ſolum priuata ſemper informatione ipſum inſtrui curaret, ſed etiam anno 1717. in cœnobio Regio Ilfeldenſi locum ut acquireret, omnes intenderet neruos, in quo per tres annos & dimidium ſtudia, quæ humaniora dici ſolent, ſedulo tractauit ſub ductu & conſilio clarisſimorum Virorum, GEORGII NICOLAI KRIEGCKII, Rectoris ibidem, & patruelis ſui, viri de re litteraria egregii meriti, nec non Con-Rectoris, IOANNIS HEINRICI STVSSII, iam Gymnaſii Gothani Rectoris.

Studiis Academicis Anno 1721. idoneus iudicatus ſe in ſuauisſimam academiam patriam conuertit, atque ab illuſtri viro, CHRISTIANO WILDVOGELIO, Conſiliario Saxo-Iſenacenſi Intimo, Facultatis Iuridicæ Seniore ac Anteceſſore celeberrimo, t. t. faſces Academicos tenente, nunc beato, in numerum ſtudioſorum fuit receptus.

Probe

Probe vero cognitum atque perſpectum habens noſter, quam egregius philoſophiæ & litterarum græcarum in arte ſalutari ſit vſus, ceu cui ſe iam tum mancipauerat, duces & moderatores in his animi exercitamentis elegit ſibi celeberrimos & excellentisſimos viros, & quidem in Philoſophia Prima, Logica & Iure naturæ Dn. IO. IACOBVM SYRBIVM; in matheſi Dn. IO. BERNARDVM WIDEBVRGIVM; in politica Dn. GOTTLIEBIVM STOLLIVM; in Phyſica tam dogmatica quam experimentali Dn. HERMANNVM FRIDERICVM TEICHMEYERVM & Dn. GEORGIVM ERHARDVM HAMBERGERVM; in litteratura denique græca Dn. CHRISTIANVM STOCKIVM.

His ſubſidiis, quæ artem medicam, in ſe longam & difficilem, breuiorem & faciliorem reddere ſolent, inſtructus noſter eam alacriter pertractare incepit, atque in hunc finem Magnificum & famigeratisſimum beatæ memoriæ virum Dn. IO. ADRIANVM SLEVOGZIVM, Facultatis noſtræ quondam Seniorem venerandum, operationes chymicas explicantem & demonſtrantem, ſummo cum ſtudiorum ſuorum fructu audiuit atque vidit.

Maxima etiam ſtudia ſua cepiſſe incrementa gratus fatetur ex inſtitutione ſolidisſima viri Magnifici & Experientisſimi Dn. IO. ADOLPHI WEDELII, iam Senioris Facultatis Medicæ maxime venerabilis, Archiatri & Conſiliarii Saxonici ac Iſenacenſis Aulici, nec non praxeos & chymiæ Profeſſ. Ord. celeberrimi; ſiue idem publice phyſiologiam, pathologiam, ſemioticam, diætam, methodum præſcribendi formulas atque medendi doceret; ſiue priuatim in inſtitutiones medicas, chymiam, morbos mulierum & infantum commentaretur.

Immo vero Excellentisſimum & Experientisſimum Dn. IO. IACOBVM FICKIVM P. P. O. celeberrimum, tria cadauera humana artificioſe incidentem, eorumque partes explicantem, nec non prælectiones botanicas, chirurgicas & practico-caſuales dextre adornantem, cum magna ſtudiorum ſuorum accesſione vidit & auſcultauit.

Porro, cum læto ſuorum profectuum augmento, indefeſſo ſtudio ſectatus eſt per vniuerſam artis Apollineæ ambitum Excellentisſimum & Experientisſimum Dn. HERM. FRID. TEICHMEYERVM P. P. O. celeberrimum & Sereniſſimi ducis Saxo-Iſenacenſis Conſiliarium; Sub cuius etiam præſidio *diſſertationem* doctam *de elatere ſanguinis*, a ſe elaboratam, cum laude defendit, ipſique non ita pridem cada-

ver femininum rite dissecanti, eiusque structuram docte explicanti, spectator & auditor perquam industrius adstitit.

Non minus cum grati animi declaratione commemorari cupit istud studiorum suorum lucrum, quod ex Excellentissimi & Experientissimi Dn. G. E. HAMBERGERI, Med. P. P. extraordin. optime meriti, solidis praelectionibus de usu partium corporis humani, & Experientissimi Dn. D. STÜVENII, nunc beati, acroasibus, circa plerasque fere medicinae partes institutis, hausit.

Tandem & mihi suum discendi ardorem probauit, quando non de morbis mulierum solum, sed & capitis cognoscendis & curandis, viribus medicamentorum, ac modo eadem concinne praescribendi ac dispensandi, vel diaeta, ad vitae & sanitatis conseruationem rite moderanda, publice praecepi.

His adminiculis in studio medico probe confirmatus ante aliquot menses a facultate nostra petiit, vt numero summorum honorum in arte nostra Candidatorum adscriberetur, & profectus sui consuetis ac priuatis examinibus explorarentur.

Admissus ad eadem a Collegio nostro talem se eidem probauit, vt nullum plane superesset dubium, quin Candidato nostro ad examen publicum, *Dissertationem nempe inauguralem de* SVFFOCATIONE EX MVSTO FERMENTANTE fores aperiremus. Ascendet igitur instante die XXVIII. Maii ordinis nostri cathedram, & sub VMBONE TEICHMEYERIANO dictam dissertationem contra obloquentes mascule, vt plane confidimus, defendet.

Mei circa actum hunc celebrandum est officii, vt Vos, ProRector Magnifice, Illustrissimi Comites, Proceres Academiae Excellentissimi, Hospites omnium ordinum honoratissimi, artiumque cunctarum, in primis vero Apollineae, studiosi ornatissimi, submisse, decenter ac officiose rogitem, velitis praesentia vestra gratiosa, honorifica atque exoptata actum hunc reddere illustriorem.

P. P. sub Sigillo Facultatis D. XXI. Maii MDCCXXIX.

(L. S.)